

Nec alia prorsus ratione agendum esse decernimus quoties deficiente aliqua ex familiis nobilium conscriptorum superius enunciatis, aliam in eum numerum deinceps adscisci oporteat. Volumus nimirum, quatuor, ut supra, ex praefata urna extrahi, qui postulantium qualitates et probatione ab his efferendas, examinent; et ad praedictam congregationem, de praemissis iudicaturam, distincte referant, ad hoc ut illius nomen, qui dignus habitus fuerit in locum vacantem subrogari, in praefato peculiari libro adscribatur, urnaeque praedictae includatur; ac documentis, ab eo productis, decretoque desuper condito, in archivum relatis, ipsius decreti exemplum, iuxta aliam formam inferius pariter praescribendam, eidem expediatur. Verum ut quis, eveniente huiusmodi loci vacatione, in numerum civium nobilium conscriptorum recipi valeat, hoc insuper requirimus, ut nempe ipsius familia inter nobiles romanas iampridem adscripta sit, et fixum in ipsa Urbe domicilium habeat; ac praeterea illibatam ducuntorum annorum, tam in paterna, quam in materna, et aviae paternae maternaeque stirpibus nobilitatem, authenticis, ut supra, probationibus demonstret. Si quis autem requisitas probationes quoad paternam familiam perfecerit; matrem vero suam, vel aviam paternam sive maternam, ex aliqua ex familiis nobilium conscriptorum esse aut fuisse demonstret; nolumus alias ultiores probationes, quoad huiusmodi maternae aut alterutrius aviae familiarum nobilitatem, ad effectum de quo agitur, ab eo requiri. Quod si inter eos, qui se posterosque suos in deficientis familiae locum subrogari petierint, aliquis sit, qui ex eadem gente, diversa vero stirpe, originem ducere se ostendat; volumus hunc, modo nullam in sua stirpe labem contra requisitae nobilitatis candorem contraxerit, coeteris omnibus postulantibus anteferri. Eos vero qui, non ex defectu probationum, repulsam tulerint, sed propter debitam alteri praelationem, in certum illum atque constantem nobilium conscriptorum numerum admitti nequiverint; eveniente alterius loci vacatione, ab onere novas conficiendi probationes absolvimus, dummodo relictis, in archivo capitolino, probationibus semel recognitis et approbatis, neque se postmodum, neque familiam suam dedecore ullo, aut imparis affinitatis contractae vitio, foedatam fuisse demonstrent.